



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Galation & Episteme MM. 5. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## SS. GALATION &amp; EPISTEME MM.

5. Novembris.

**N**ulli æquè flores cælo arident, ut animi virginis lilia, maximè quæ ex thalamo surgunt, hoc utique pulchriora, quo rariora. Vides hodie tamen hæc in GALATIONE & EPISTEME, quibus castissimum thalamum virginitas stravit, verecundia ornavit, mors defendit. Et GALATIONEM quidem matri sterili, si Christo adhereret, spondit Anachoreta, firmavitque pactum in somnis visus in cruce Christus. Liberata utrimque fides, & filio hereditatem parens uterque Fidem, sponsam verò EPISTEMEN reliquit formâ singulari & omnibus virtutibus dotatam. Hæc cælesti ostento, nec uno, instructa cum virginum beatos choros esset intuita, facilè virginitatem etiam in conjugio coluit. GALATIONE exinde inter monachos abdito, ipsa inter virgines velatas vixit, abductaque per visum cum marito in cælestia palatia, jussaque coronam sperare, etiam ad sanguinem Deo litandum animum erexit. Etenim eunte ad tribunal impium GALATIONE, pari passu virum mulier secuta, negavit rectè facere conjugem, si sine conjuge ad coronam aspiraret, quam nuper utrique cælum promississet. Et verò hanc non minus sponsæ quàm sponso deberi. Itaque cum, ut in lecto casto, ita etiam tormentis omnibus socia esset, post corpus virgis concisum, post infixas sub ungues spinas, linguâ primò & pedibus manibusque, post capite etiam sunt truncati, felicissimi conjuges & sine filiis morituri, nisi hoc, in quos omnia bona sparserant, pauperes negarent. *Ex Metaphr.*

Beatus,

Beatus, qui sacra Virginitatis hortum conclusum, fontemque signatum Christo Domino inviolabiliter consecravit. Ipse procul dubio in aeterno sponsi convivio, unâ cum B. Mariâ Virgine Virginis Matre, Reginâque Virginum Agnum sequetur, quocumque ierit. S. Laurent. Justin. de Regim. Prælat. c. 8.

S. MALACHIAS EP. 5. Novembris.

**A** Des turba literaria, & si placet, euntem ad ludum puerulum MALACHIAM comitare. Vides ex viâ subsistentem, & passis brachiis identidem non Apollini sed Numini supplicem? O plures sic ad scholas itarent, ut plures inde Malachiæ redirent! Nunc unicum laudamus, qui Sacerdotio à Musis donatus sororem è piacularibus flammis facto sacrificio exemit, mox patriæ (Hiberniæ) Episcopatum tulit. Verùm uti honor artes alit, ita invidiam provocat. Capiti MALACHIÆ plures insidias posuerunt, ut ipsius infulâ suum tegerent caput. Sed cælum pro virtute pugnavit. Nam dum MALACHIAS ad asylon templum confugit, tempestas omnes ejus hostes fulminavit, lacerosque eorum artus hinc inde stipitibus arborum ad cogitati parricidii infamiam suspendit. Sed & mulier, quæ linguam in Divum armaverat, putrescere hanc sensit, ut oris virulentam infamiam graveolentia proderet. Alios oculorum orbitas, ferrum alios ignesque & dæmon malus sunt ulti. Ita omnibus periculis subductum caput in ruras latebras Claram Vallem tulit, & ut securum jam esset, cucullo abdidit. Morienti oculos clausit D. Bernardus, quem quia præconem laudû etiam suarum habere meruit, non jam Achilli Homerum puto invidebit. *Ex S. Bern.*

Beatus,